



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Disputationes|| ROBERTI BELLAR-||MINI E SOCIETATE  
IESV,|| DE CONTROVERSIIS CHRISTIANAE|| FIDEI,  
ADVERSVS HVIVS TEM-||poris Hæreticos,||**

Tribus Tomis comprehensæ.||

DE VERBO DEI|| scripto & non scripto,|| QVATVOR LIBRIS|| EXPLICATA.||

**Bellarmino, Roberto Francesco Romolo <Heiliger>**

**Ingolstadii, 1599**

**VD16 B 1607**

XIV. De Ecclesiastico.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-53828](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-53828)

dum propositum: at primum idolum absolutè fuisse imaginem filij mortui à parente factam, & priuatim honoratam. Inde enim inualecente praua consuetudine (vt in eodem cap. 14. Sap. dicitur) cœpta sunt tyrannorum imperio publicè coligmenta.

## CAPVT XIV.

## De Ecclesiastico.

**L**IBRVM Ecclesiastici, quod ex eo multa dogmata fidei luculenter probentur, vehementer Calvinus odit: *Vnde, inquit in antidoto, melius facem haurirent? nec tamen habet aliquid, quod ei obiiciat.* Nos autem contrà, multis veterum testimoniis auctoritatem eius libri confirmare possumus. CLEMENS ALEXANDRINVS lib. 7. Stromatum propè extremo, citans cap. 4. Eccles. sic ait: *Sequentes autem Scripturas, confirmemus quod dictum est.* S. CYPRIANVS lib. 3. epist. 9. citans cap. 7. *Sed & Salomon, inquit, in Spiritu sancto constitutus, testatur & dicit.* EPIPHANIUS in hæres. Anomœorum numerat inter sacros ac diuinos libros Sapientiam Salomonis & filij Sirach, id est, Ecclesiasticum. Ex quo intelligimus eundem Epiphanium cum in lib. de mens. & ponder. dicit, hos libros non esse receptos; de sententia Iudeorum esse loquutum. D. AMBROSIVS lib. 4. de fide, cap. 4. verba Ecclesiastici, ex cap. 24. diuina oracula nominauit. B. AVGVSTINVS in lib. ad Orosium contra Priscillianistas: *Clamat, inquit, Scriptura diuina; Altiora te ne quasieris, qua sententia Ecclesiastici nostri est.* Denique Clemens & Cyprianus locis citatis, Sixtus II. in epist. ad Gratum, Damasus in epist. ad Episcopos Italiæ, Basilius lib. 4. in Eunomium, Ambrosius in cap. 7. prioris ad Corinth. Hieronymus in cap. 10. Ecclesiastæ, & Gregorius lib. 10. moralium; cap. 14. hunc librum non solùm citant, sed etiam Salomoni attribuunt: nunquam autem dubium fuit quin Salomonis libri canonici, ac diuini habendi essent. At Epiphanius in hæresi Anomœorum, & alij nonnulli auctorem libri huius Iesum Sirach esse volunt. Respondeo, facilè potuisse fieri, vt Iesus Sirach sententias Salomonis à se diligenter collectas in vnum volumen redegerit. ita vterque auctor dici poterit.

*Vide Epiphanium de mens. et pond. pag. 412. B.*

CAPVT